Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Qui dicunt patri suo et matri nescio vos. et fratribus suis ignoro vos.
et nescierunt filios suos. hii custodierunt testamentum dei. servaveruntque
precepta eius. et iudicia tua iacob. et precepta tua o israel. Ille enim fami
liarius scit deum appetit. qui pro amore eius nescire desiderat quecumque
carnaliter sciunt. De sacrificio samuelis et lapide adiutorii.

s Cap. IIII.

Samuel autem post mortem hely regnabat [super] populum israel. Con
gregato autem omni populo exclamavit ad dominum pro israel.
et exaudivit eum. Et cum offerret holocaustum accedentibus alie
nigenis ad pugnam. contra populum dei. intonuit dominus super eos et confusi
sunt. et offenderunt coram israel. atque superati sunt. Tunc assumpsit samu
el lapidem unum et posuit eum inter masphat et inter sicilech. et ut sep
tuaginta transtulerunt inter masphat novam et veterem. Et vocavit nomen
eius lapis adiutorii et dixit. Huc usque auxiliatus est nobis dominus. Masphat
interpretatur intentio. Lapis ille adiutorii. medietas est salvatoris. per quem
transeundum est. a masphat vetere ad novam. id est ab intentione qua [ex]spec
tabatur in carnali regno quo erat beatitudo carnalis falsa. ad in
tentionem que per novum testamentum exspectatur in regno celorum. ubi est
beatitudo verissima spiritalis. [Et quasi] quia nichil ad pugnam est melius.
usque huc auxiliatus est dominus. Iste samuel invocatione domini ex
audivit eum dominus. et in tempore messis pluviam inpetravit. Pluvia
enim in sanctis scripturis verba sunt evangelii. sive legis. sicut
et moyses dicit. Expectetur sicut pluvia eloquium meum. et descendant
sicut ros verba mea. Hanc ergo pluviam dedit mundo dominus in tempore
messis. id est quando gentes colligi oportebat. ut sicut frumentum
in horreis. sic intra sinum ecclesie gentes congregarentur. Iudicavit autem
samuel israel omnibus diebus vite sue. fueruntque usque ad eum iudices.
et principes super israel. Porro filii samuhel. declinaverunt post avariciam.
et accipiebant munera. et tam iniqui iudices exstiterunt ut
populus nequaquam eos ferens regem sibi in similitudinem ceterarum
gentium postularet. De unctione saul regis. Cap. V.